

Neues Archiv

der

Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde

zur

Beförderung einer Gesamtausgabe der Quellenschriften
deutscher Geschichten des Mittelalters.



Sechster Band.

Mit 2 Siegeltafeln.

Hannover.

Hahn'sche Buchhandlung.

1881.

XV.

Vita Hildegundis metrica

und

a n d e r e V e r s e .

Von

W. Wattenbach.

Der in dem vorstehenden Aufsätze mitgetheilten ältesten prosaischen Lebensbeschreibung des weiblichen Joseph von Schoenau, geschrieben bevor dessen eigentlicher Name Hildegund in Erfahrung gebracht war, lassen wir eine völlig übereinstimmende metrische Bearbeitung folgen, welche auch noch derselben Zeit angehört. Sie findet sich in einer Zwetteler Hs. (Arch. X, 651), ausserdem aber in einer Münchener, Cod. lat. 22, 227 aus Windberg, auf welche Herr Dr. W. Meyer die Güte hatte uns aufmerksam zu machen. Sie ist, wie die fol. 3 v. enthaltene Inschrift bezeugt, auf Befehl des Abtes Gebehard (1146—1191) geschrieben. Jaffé hat diese Inschrift SS. XVII, 559, Anm. 5 mitgetheilt. Die Hs. enthält Augustin, De civitate Dei; f. 207 v. ist die Vita Hildegundis eingetragen, correct genug, um auf Vergleichung der anderen Hs. verzichten zu können; auch mit sehr sorgfältiger Interpunction. Sie lautet:

- Grande novumque stilo mandabimus, utilitatis
 Intuitu, quod concelebret laus posteritatis.
 Clara Dei cultu Sconaugia dicta videtur,
 Reno juncta domus, personis, rebus habundans :
 5 Religione magis, Clare plantatio vallis.
 Venit eo ducente Deo puer, isque perorat
 Ingressum; precibus simul evincente favorem
 Inclusa, domui nota famę per odorem.
 Hic vir erat pro veste viri, sub veste puella.
 10 Ingressus tenerasque manus ad fortia mittens,
 Succumbit, nutans refugit caro pondus et estus¹⁾.
 Nunc victus, victor modo spiritus, arma resumens
 Pugnat, et in fragili vicit patientia sexu²⁾.
 Unicus hic puerum metus enecat omnibus horis,
 15 Feminiei prodire timens archana pudoris.
 Ecce Joseph, quod nomen ei, languore gravatus
 Detegit, excepto sexu, secreta priori.
 'En vocor: explicite referam discrimina vite.
 Fovit me patrie vicina Colonia terre.

1) estum?

2) Hs. sexum.

- 20 Mater decessit, solus cum patre relinquer,
 Quo duce dante Deo loca sancta peto tener evo,
 In quibus humanam crux est operata salutem.
 In reditu Tyri deploro patrem sepeliri.
 Traditus in curam, curat mea meque minister.
- 25 Rara fides hominum, quibus est formido magistra.
 Dum servat mea meque, reservat carius illa.
 Pandere vela nothis invitantur redituri.
 Ecce meus, jam non meus ille ratem pedagogus
 Abtat, abit, portat mea; solus in ede relinquer.
- 30 Dum vigilo, fraudem video; tabesco dolore:
 Amplior equoreis angit me cura procellis.
 Exul egensque vagor; mihi barbara lingua, famesque
 Longa, manus mendica, dies fecere nefastos.
 Panis et ignoti sermonis colligo micas.
- 35 Emendico scolis quod erat studii vel honoris.
 Annus abit; mare sulcantes veniunt Alemanni.
 Mota querendo movet cunctos contricio Joseph.
 In sua me tandem suscepit larga potestas,
 Restituens oris reducem patrie regionis.
- 40 Fluctuat interea pacis status ecclesiarum.
 Electum Treveris favor improbat imperialis.
 Papa favendo probat; super hoc dissentit uterque.
 Inter se pugnant gladii duo: spiritualis
 Obviat imperio, versa vice materialis.
- 45 Scinditur in partes Christi domus, unio pacis.
 Pars juvat hec Romam, sceptri fovet illa coronam.
 Causa timoris erant gladiis obsessa viarum
 Competa; legatis captis, cesis, spoliatis,
 Pontifices mittunt apices, hinc inde receptant.
- 50 Cum proprio favet his pastore Colonia, mittens
 Veronam, qua papa moram faciendo resedit.
 Tam prece quam precio, legati scripta ferenda,
 Arte viatoris baculo signata, recepi,
 Nam minor in pedite fuerat nota suspicionis.
- 55 Curro parum tutus; preit ille timore solutus.
 Cis alpina tenens, offendo per invia furem.
 Ille comes petit esse meus, concedo petenti.
 Progredimur, sonus excipitur post terga sequentum.
 Fur latuit, sua deposuit, dum transeat hostis,
- 60 Me penes; inventis in sacco rebus ademptis
 Inficior, magis afficior flagris cumulatis.
 Vincior atque trahor; tractus sub iudice causam
 Intro, set allegare vetat presentia dampni.
 Res manifesta reum docet, annuit ordo senatus,
- 56 Morte crucis dampnat sententia; posco, sacerdos
 Assit: adest; peto det veniam delicta fatenti.

- Ille super causa rogat, insontem probat in qua¹⁾
 Conscia mens veri; fortuna mihi mala junxit
 Furem, vicinis sacco sublata ferentem.
- 70 Depreſsum fuga defendit per opaca fruteſti:
 Si nemus ambitur, reus intro latens reperitur.
 Que mea dicta probet, ſpectetur harundine clauſa
 Cartula pontificis, teneor quam ferre Veronam.
 Explorata fides mea iudicium revocavit.
- 75 Milite, rete, cane, cinctum nemus occupat hoſtem.
 Lis recidivatur, nova conteſtatio litis
 Meque reumque premens urget nimis, amplius illum.
 Fur ait: 'In culpa dolor eſt labi ſine culpa.
 Sacculus aduerſe partis depreſſus in uſu
- 80 Ipſe meus non eſt; non eſt meus ipſe, ſet ejus.
 Teſtibus iſta probo quos me cepiſſe videtiſ'.
 Aſt ego: 'Depositum ſervare tuum mihi tutum
 Credideram; nichil intro mali latitare verebar,
 Te ſocium ratus innocuum; tua te fugiente
- 85 Conmendata mihi reddo tibi. Numina celi
 Teſtor, eum, qui nec falli nec fallere novit'.
 Fur contra: 'Vox unius vox nullius; idem
 Et reus et teſtis nequit eſſe: reperta penes te
 Reſ ablata reum culpam vetat inficiari'.
- 90 Obtinui, nec enim potui convincere fraudem.
 Sola Dei per me pariet ſibi gratia laudem.
 Preſpiter accedens pro me nutante perorat:
 'Simplicitas hominis innoxia, laude colenda,
 Non cruce plectenda, divino jure docetur.
- 95 Indubitata fides mea novit, et aſtipulatur,
 Nil meruiſſe mali juvenem, nec jure gravari.
 Ne tamen humanas violet violentia leges,
 Conſulo iudicium ferri candentis adiri'.
 Dixit, et effectus comitatur: uterque ſubimus
- 100 Examen; nil leſa manus mea, furis aduſta.
 Ille crucem ſcandit; mihi vero meus ſua pandit
 Limina confessor, pater hic meus atque redemptor.
 Turpe genus fati cognatio queſta necati,
 Preter iudicium violenter ab ede revulſum,
- 105 Suſpenſo cruce deſposito, me ſubſtituerunt.
 Pendeo non pendens, ſet per triduum pede fultus
 Numinis angelici, cujus mihi gloria vultus,
 Cujus odor, prebent oblectamenta ſaporis.
 Hauſi ſero melos tangens dulcedine celos.
- 110 Angelus ignarum docet, organa ſignificare
 Virginis Agnetis animam ſuper aſtra meare,
 Meque annis tribus emenſis hac ſorte beari.

1) Hs. inquam. Concia.

- Pastores aderant de me miserando locuti:
 'Huic servare fidem pietas hortatur; eidem
 115 Succiso laqueo, tumuli prestemus honorem'.
 Dicta probant opere, pendentem deposuere.
 Set casum, subdendo manum, tibi cura tueri,
 Angele celestis; descendo sospite vita,
 Respicio: pavor attonitos fugat opiliones.
 120 'Quolibet ire licet tibi; liber eas', meus inquit
 Tutor. Ad hec ego: 'Proposui migrare Veronam'.
 'Ecce Verona subest oculis', ait, 'ingrediaris'.
 Vix stadiis semota tribus, quam sorte viarum
 Constat ab Augusta septem distare dietis.
 125 O virtus deitatis, opus magnum pietatis!
 Introgressus, iter, causam, mandata peregi.
 Set rediens, seriemque legens in corde dolorum,
 Hic Christo duce subsisto mansurus in ipso,
 Ut resonet devota meo laus ejus in ore,
 130 Multiplici super exhibite virtutis honore,
 Pro meriti donis, pro salvi dote pudoris.
 Fluxit trimatus hodie, quo percipiendę
 Lapsa polis hausi pendens promissa coronę.
 Meta subest bravii, jam portus hora tenendi.
 135 Materies vobis migrans parebo stuporis.
 Auctori super his Christo sonet innus honoris'.
 Finierat Joseph, cenamque vocatur ad agni,
 Quarto paschalis ferie jam sole ruente.
 Cujus ad exequias fama celeberrimus abbas
 140 Advolat, ymnisona fratrum stipante caterva.
 Inter vota precum, scapulis ex parte relectis,
 Exhibita lavacro conparet candida virgo.
 O rerum nova materies! stupor occupat omnes.
 Codice verba legens commendativa sacerdos,
 145 Mutato sexu, textum mutare tenetur,
 Pro monacho monacham recitans, pro fratre sororem,
 Et qui mas fuerat, nunc femina commemoratur.
 De breve scribenda dubitantes expedit abbas,
 Nam jubet ignoti vice nominis ista reponi:
 150 'Transiit ancilla Christi' de more kalendis
 Prefixis, in fine loco subcontinuatō:

XII^o kal. maiio¹⁾ ancilla Dei in Sconaugia anno ab incarnatione domini M^oC^oLXXX^oVIII^o.

Hec in laude tui depromsi virgo serena.
 Redde vicem dans perpetue loca lucis amena.

1) sic! In der Zwetteler Hs. Nov.

Auch die ersten Blätter dieser Hs. sind benutzt, um einige Verse einzutragen, welche augenscheinlich aus Frankreich mitgebracht sind; zuerst unter der Aufschrift 'De contemptu mundi' Hildeberts (p. 1344 ed. Beaug.) 'Nuper eram locuples' de exilio suo; dann einige Versspielereien über die Heilige Geschichte. Darauf 'Pontificum spuma — Esau sum' ein Stück des Mantelliedes (s. Anz. d. Germ. Mus. XIX, 286) wie die Vorauer Hs. Arch. X, 628, nur dass hier steht 'Pauper mantelle'. Dann folgen einige Epitaphien, theils auf wirkliche Personen, theils ganz allgemein:

Petra Petri cineres tenet hec, animam petra Christus:
Sic sibi divisit utraque petra Petrum.

Respice qui transis: cineri cinis indico, quam sis
Res umbre similis, vana, fugax, fragilis.
Quo veni, venies; quod sum modo, postea fies;
Tu quod es, ante fui: nunc memor esto tui.

Quisquis ades, qui morte cades: sta, perlege, plora.
Sum quod eris; quod es, ante fui: pro me precor ora.

Hierauf folgt das Epitaphium Ivonis ep. Carnotensis (ob. 1115), wie es Gallia Chr. VIII, 1132 gedruckt ist (nur steht hier im letzten Distichon 'frena tyrannus Sensit, egenus opem') und dem Abt Philipp von Bonne Espérance zugeschrieben, doch ohne Grund nach der Hist. litt. XIV, 292. Im folgenden Epitaph erinnert der Name an Robert Foliot, Bischof von Hereford, der 1195 starb; es könnte ein Verwandter sein, wenn man den verschiedenen Vocal übersehen darf. Den Truchsess Goslen und den grossen Helden Raginald wird man in französischen Quellen vielleicht finden können.

Si species et opes mortem differre valerent,
Rubertus Filiot non moreretur adhuc.
Dictus erat Philiot, set cor, vis, lingua negabant.
Mente puer, Mars vi, Tullius ore fuit.
Set quid simplicitas, virtus, facundia iuvat?
Lux fuit Augusti terciā finis ei.

Quid iuvat imperium, quid virtus, quid decor oris?
Summa dies veniens hec simul adnichilat.
Imperio dapifer, miles virtute, vir evo,
Goslenus cinis est, sit requies anime.

Clericus arte vicens, etate vir, Anglicus ortu —
Nil ars, nil etas, nil iuvat ortus — obit.

Mens, vox, dextra, bonum concepit, protulit, egit:
 Cor Deus, os populus, dona probavit egens.
 Nunc requies animam, plebs famam, tumba cadaver
 Optinet; exuit hic ima, superna tenet.

Clerus presidio, monachus patre, plebs monitore
 Orbati, funus pontificale gemunt.
 Vita rei mors est, mors justi vita jocunda:
 Vixit in orbe pius, transiit ergo Deo.
 Mortem mortalis, vitam celestis inivit,
 Nam caro fit pulvis, spiritus astra subit
 Cur igitur doleant? nature debita solvit,
 Respuit ima soli, vivit in arce poli.

Milite pomposo meret Pomponia, deflet
 Gallia, diffidit Gandia, fama dolet.
 Mecenas ortu, Cato sensu, Tullius ore,
 Julius ense, Paris corpore, quinque fuit.
 Spes sibi, spes regi, spes regno, spes regioni,
 Par mihi, par alii, par tibi: nullus ei.
 Julius hunc tollit, lux tertia qua subit Idus,
 Tristis adest et abit, cum Reginaldus obit.

Non sum sub terris. Ubi tunc? sub compare stella.
 Unde locus? quia virgo fui simplexque puella.

Cum fuit in mundo, per mundum vixit eundo,
 Et postrema dies hec sibi prima quies.

Est in natura propria Deus absque figura.
 Cur autem pictus? quia carne videtur amictus.
 Cum datur ergo Dei cultus picte speciei,
 Christus honoratur, per eam qui significatur.

Hierauf folgt nun das Gedicht des Magister Petrus gegen die Simonie, welches ich im Anz. des Germ. Mus. XX, 102 aus der Scheftlarnner Hs. Cod. lat. Monac. 17, 212 (A) mitgetheilt habe; diese ist bis auf einige ausgelassene Verse sehr correct. Dazu kamen XXIII, 76 Verbesserungen aus der Fürstenfelder Hs. Clm. 6911 (B), deren zahlreiche Copistenfehler nicht angemerkt sind. Hierzu kommt nun unsere Hs. (C), in welcher einige stärkere Abweichungen mündliche Ueberlieferung verrathen. Da der Inhalt nicht ohne geschichtlichen Werth und jetzt nach 3 Texten eine berichtigte Ausgabe möglich ist, lasse ich es hier folgen. Die Aufschrift hat nur A.

Versus magistri Petri contra simoniam.

- Signat musa Petri vario narramine metri,
 Quam sit feralis contagio simonialis¹⁾.
 Undique mundi stagna profundi turbine mota
 Exagitantur, dampna minantur²⁾, pace remota.
 5 Grex viciorum corda virorum pulsant ubique,
 Undique terror, luctus et error multus ubique³⁾.
 Ira, libido, ceca cupido, cuncta capistrat⁴⁾,
 Et sceleratis impietatis tela⁵⁾ ministrat.
 Aurea pestis, seuior istis⁶⁾, seuius angit:
 10 Ingruit orbi, vis mala morbi, cunctaque tangit,
 Quamque patenter⁷⁾, quam violenter, secula vexet⁸⁾,
 Nuper Aratus subtitulatus sermo retexit⁹⁾.

- Jam¹⁰⁾ totam Romam sibi vendicat ambitus¹¹⁾ eris:
 Denarium Romam fer, qui venalia queris.
 15 Hic pro denario donatur pontificatus,
 Quodque magis flendum, conceditur ipse papatus¹²⁾.
 Hic abbatia prostat cum prepositura,
 Hic et venalis jacet ecclesiastica cura.
 Hic omnis sacer ordo jacet venalis in urbe:
 20 Ut vendant et emant, stant hic cum Simone turbe.
 Venditor omnis habet merces hic ecclesiales¹³⁾,
 Porticus omnis habet emptores simoniales.
 Signa Petrus quondam faciens sacra respuit aurum:
 Signa modo faciens cum Simone postulat aurum.
 25 Sic magus in Petrum transit¹⁴⁾ vice pontificali¹⁵⁾,
 Inque magum Petrus migrat vice simoniali.
 Roma potens¹⁶⁾ fit vile forum, fit Simonis edes,
 Et fit avaricie templum Petri sacra sedes.
 Nec solam Romam gravat huius lesio morbi,
 30 Que caput est orbis, set toti iam¹⁷⁾ nocet orbi.
 Nimirum capitis dolor omnia membra replevit¹⁸⁾,
 Deque malo sic principio sanies mala crevit.
 Simon in Urbe furit, amor auri fervet ubique:
 Pontifices per eum populis dominantur inique.
 35 Argenti precio venundatur unctio sacra,
 Reliquie sacre¹⁹⁾ venduntur uti²⁰⁾ simulacra.
 Lingua sacerdotis parvo venalis habetur,
 Cui si nil dederis, divinus sermo tacetur.

1) sim. und sym. wechseln überall ohne Regel. 2) Exagitant dampna. dant prelia C. 3) frausque dolorque C. 4) capessunt C; ministrat A. 5) arma A. 6) estus C. 7) potenter A. 8) vexit A; vexat C. 9) retexit A; retexit C. 10) Cum C. 11) subdit servitus C. 12) Der Vers fehlt A. 13) ecclesiales — emptores fehlt A. 14) torsit C. 15) pontificali — vice fehlt A. 16) nocens C. 17) iam toto C. 18) grauabit A. 19) sacra C. 20) ut A.

- Si multum reus es, reus illi porrige multum:
 40 Quidquid peccaris, si vis, dimittit¹⁾ inultum.
 Nec gratis recipit, que gratis protulit, ossa
 Terra parens: homini precio datur, (h)aut prece fossa.
 Solvitur argento nodus consanguinitatis,
 Discidiumque malum fit jure sacro sociatis.
 45 Venditur ere sacra benedictio, crismaque sacrum:
 Sacra columba datur precio, fideique lavacrum.
 Expulit a templo quondam Deus hoc facientes:
 Perfert in²⁾ templo similem modo rem repetentes³⁾.

- Omnis episcopus hoc faciens opus abiciatur,
 50 Nec memorabilis, immo notabilis, hinc⁴⁾ habeatur⁵⁾.
 Crimina talia sunt capitalia, plena pudoris,
 Que Deus obruet aut cito destruet igne furoris.
 Gallicus incola sic colit ydola, mente severa,
 Principe demone, presule Simone, qui colit era.
 55 Solaque Gallia simonialia nunc⁶⁾ operatur,
 Ydola nam tria⁷⁾ cuncta per atria thurificatur⁸⁾.

- Proh pudor!⁹⁾ omnia crimina turpia prevaluere:¹⁰⁾
 Ut maledictio, sic benedictio venditur ere.
 Venditur altaris cibus, hostia sanctificata,¹¹⁾
 60 Indignis sua mors, set dignis vita beata.
 Improbitas illum¹²⁾ male vendit presbiterorum,
 Hunc emit¹³⁾ alta fides, emit hunc mens pura¹⁴⁾ bonorum.
 Est cibus iste Deus¹⁵⁾ qui vite panis habetur:
 Quisquis eum vendit, pro vita morte fruatur.
 65 Suspensus laqueo Judas non totus obivit:
 Altera pars ejus crepuit, pars altera vivit.
 Servus adhuc dominum mutato nomine vendit:
 Non animum mutat, quia mutua premia prendit¹⁶⁾.
 Ergo ferat meritas Judas cum Simone penas,
 70 Tartareas subeat dampnatus uterque catenas.

In C folgt noch, doch abgesondert:

Fert contra morem retinens in matre pudorem,
 Virgo creatorem, fert spina rosam, rosa florem.

1) dimittit C. 2) a C. 3) facientes A. B. 4) hic A. C.
 5) teneatur A. 6) nec A. 7) Wie Giesebrecht bemerkt hat, ist
 YdolatRIA zu verbinden. 8) Die folgenden Verse sind in allen 3 Hss.
 nicht getrennt, aber dem Sinn nach ist kein unmittelbarer Zusammen-
 hang, und auch das Metrum wird vom dritten Vers ab ein anderes.
 9) dolor A. 10) prava licere A. 11) a. Christus c. hostia sacra C.
 12) illa C. 13) Nunc etenim a. f. salvat. spes p. b. A. 14) vita C.
 15) dei C. 16) v. 67 und 68 fehlen A.